

Corruptum est הכר in הכר; restitutionem approbant Sanct., Calm., Houb. Assignatur determinata mensura vini (uter), statuitur hoedus unus, ergo panis etiam determinata copia scribitur necesse est. Gomer panis intelligitur vel tantum, quantum ex gomer tritici confici potest (Then.), vel secundum Num. 11, 32, ubi gomer coturnicibus impletur, tantum, quantum gomer continetur. Reliquae versiones, acceptata lectione הכר, non deficiunt, pertinuerit ille asinus ad donaria regi offerenda; quod quidem defendit Cler.; sed obvius sensus est, donaria fuisse cibi et potus. Syr. grammaticae inhaerens donaria omnia, hoedo minime excepto, asino imponit. Chald. *asinum panis* explicavit *asinum oneratum pane*, Vulg. *plenum panibus*, tantum intelligentes panis, quantum asinus commodè portare queat: sed quis tum portabat utrem? num hoedus? Clair lectionem firmare conatur citatione Sosibii poetae: ἄριστος ἔσται ἄσινος; verum multa licent poetis quantilatis causa, et multum interest inter poesin graecam et prosam hebraicam.

v. 21 « *Et venit David ad Saul, et stetit coram eo; at ille dilexit eum nimis, et factus est eius armiger* ». Stare coram aliquo saepe idem est, ac ministrare, cf. Deut. 18, 7; 3 Reg. 1, 2; 12, 6; 4 Reg. 5, 23; 2 Par. 29, 41; Ier. 7, 10 etc. Fecit armigerum, quem semper secum habere volebat, quique simul ob animum bellicosum ei muneri par esset. v. 22 « *Misitque Saul ad Isai, dicens: Stet David in conspectu meo, invenit enim gratiam in oculis meis* ». v. 23 « *Igitur quaecumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul et levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus* ». Vocem *malus* initio versus omnes habent versiones. *Refocillabatur*: cf. assonantiam inter יָיָה וְיָיָה, veluti lenis aurae afflatu oppressione liberabatur, cf. Iob 32, 20. Effectus utique non soli citharae pulsationi adscribendus erat, sed divini Spiritus influxui; probabiliter insuper David assueverat sonos voce comitari, psalmis iam praeludebat, vel eorum aliquos decantabat (Ps. Hier.).

## HISTORIA DAVID EXULIS 1 Reg. 17-31.

Historia haec ex Intr. n. 7 in tres dividitur partes, quarum prima Davidem in aula regis persecutioni obnoxium, altera eundem in terra Iuda fugitivum, tertia inter Philisthaeos exultantem describit.

## PARS I. DAVID IN AULA SAUL 1 Reg. 17-20.

Haec rursus pars in tria dividitur membra. Primum introductionis loco est atque enarrat, quomodo David devicto Goliath in aulam fuerit adscitus atque regio favore honoratus. Secundum latentes, tertium patentes Saulis insidias describit.

## A. Davidis in aulam adventus 1 Reg. 17, 1-18, 5.

Ang. — S. auctor iam narrationem rerum Davidis altius repetens primum factum narrat, quo David populo regique innotuit. Divina sc. ope fisus Goliath Philisthaeum singulari certamine prostravit. Quare Saul, quis ille juvenis esset, exquisivit eumque aliquo tempore post aulae permanenter adimxit. Ionathas quoque cum Davide foedus amicitiae iniit.

Cap. XVII v. 4 « *Congregantes autem Philisthim agmina sua in praelium, convenerunt in Socho Iudae, et castrametati sunt inter Socho et Azeca, in finibus Dommin* ». Lege in *Phesdommin* cum reliquis omnibus, et 1 Par. 11, 13 etiam cum Vulg. — Ergo *Socho* locus propinquior erat regioni Philisthaeorum, *Azeca* remotior. *Socho* non procul aberat a Ierimoth et Adullam Ios. 13, 35; cf. 2 Par. 28, 18; nunc Schuweke ad meridiem Wadi-es-Samt. *Phesdommin* nonnihil altius in

eadem valle erat. *Vallis Terebinthi* aut ipsum est Wadi-es-Samt, aut vallis aliqua illi coniuncta. v. 2 « Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in Vallem Terebinthi, et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthaim ». v. 3 « Et Philisthaim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex altera parte, vallisque erat inter eos ». Stabant in clivis ex utraque parte vallis. v. 4 « Et egressus est vir spiritus de castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmi ». Hebraei res metiebantur cubitiis; cubitus duos habebat palmos כַּמֶּטֶר seu « palmas extensas », sex vero כַּפַּיִם seu « palmas collectas » compressis quatuor digitis (quatuor digitos. vertit *Vulg.* Ex. 23, 23 et alibi), viginti quatuor tandem digitos. *Gerni.*: Elle, Spanne, Handbreit, Zoll. Haec cum perse clara sint, non ita facile determinatur adamussum cubiti longitudine; tamen adhibitis, quae talmud et monumenta suppetant, indicium videtur is proxime accessisse ad cubitum Aegyptiorum, quem accurate depictum monumenta exhibent, fuitque 483·9 m m.; hinc palmus 241·95 m m., palma collecta 80·65 m m., digitus 20·1623 m m. Cubiti sex calamus efficiebat (Ez. 41, 8), 2·9034 m. Cf. *Schrader* ap. Riehm: Handwoerterbuch des bibl. Altertums, Bielefeld u. Leipzig 1884. Ergo Goliath, cum esset sex (vel quatuor LXX *Ios.*) cubitorum et dimidii, erat altus 2·984 (vel 2·072) m.

*Vir spiritus*: fortasse vertendum *Et egressus est vir in medium*, הַבְּיָמִים. Ita *Ios.* מִבְּיָמָיו שֶׁהָיָה מִלְחָמָה עִמָּם, *Kimchi* « stans inter duas acies ». *Amama*: « Hebraei ad unum omnes, quos ego inspexi, Rabbi Salomo, Levi, David, Iesaias, referunt ad duas acies, quodque inter duas acies quotidie staret, sic dictum putant ». Paulo aliter *Chald.*: « de inter illos ». *Spiritus* (*Vulg.*) secundum aliquos ex altera expositione rabbinica ortum duxit « unus filiorum », i. e. nullo certo patre genitus. Aliis praeplacet versio, quam suggerit LXX (*Alex.*) ὁ μεσσητός, et *Ag.* ὁ μεσσητός: ergo *mediator*, i. e. ille qui hac ratione inter partes adversas mediatorem agit, ut rem singulari certamine dirimendam in se suscipiat. Ita *Malv.*, *Caln.*, *Ges.*, *Fürst*. Haec significatio certe melius convenit v. 23. LXX ὁ μεσσητός, *Syr.* gīyas: quid legerint, nescimus. — De castris, מַחֲנֵיהֶם non est cum *Them.*, *Welh.*, secundum LXX emendandum in מַחֲנֵיהֶם, *de acie*, licet ea vox v. 8 et 23 habeatur: *Hebr.* *Chald.* *Syr.* habent h. l. unam vocem, et v. 8 et 23 alteram.

v. 3 « Et cassis aerea super caput eius, et lorica squamata induebatur; porro pondus loricae eius quinque millia siclorum aeris erat », fere 82 Kilogr. v. 6 « Et ocreas aereas habebat in cruribus, et clypeus aereus tegebat humeros eius ». Verte et pilum aereum (pendebat) inter humeros eius, appensum gestabatur. v. 7 « Hastile autem hastae eius erat quasi liciatorium textentium, ipsum autem ferrum hastae eius sexcentos siclos habebat ferri; et armiger eius antecedebat eum ». Recte *Them.* ex eiusmodi numeris adscriptis infert, Goliath revera fuisse occisum, eiusque corpus cum armis in Hebraeorum venisse potestatem. Cum, praeter fratrem

Goliath 2 Reg. 21, 19; 1 Par. 20, 5 etiam vir quidam Aegyptius 4 Par. 11, 53 habuerit « lanceam ut liciatorium textentium », puto hanc expressionem nulli determinatae correspondere dimensioni, sed esse indeterminatam exaggerantem, sicut quando dicuntur milites esse numerosi sicut arena maris, quae numerari non potest. Siclus ponderis publici 2 Reg. 14, 26 (*Hebr. regius*), seu iuxta mensuram templi Ex. 30, 13 (*Hebr. sacer*), qui unus antiquitus apud Hebraeos usuveniebat, ex *Ios.* Ant. 14, 7, 1 erat 16·37 gr. Sexaginta sicli efficiebant minam i. e. 982 gr., sexaginta minae efficiebant auri talentum i. e. 38·932 kilogr. Sexcenti igitur sicli efficiunt 9·822 kilogr.

*Clypeus* כִּיָּדָן res est, quae manu gerebatur *Ios.* 8, 18, ergo non genus quoddam armaturae, quo humeri tegerentur (*Syr.*) *Iob.* 39, 23: « Super ipsum (equum) sonabit pharetra, ferrum lanceae et כִּיָּדָן ». *Iob.* 41, 20 (21) כִּיָּדָן offertur ut res, quam Leviathan nequaquam formidet; ubi *Vulg.*, sicut aliis locis, vertit *hastam*; clypeus utique multo minus formidinis est obiectum, quam hasta seu pilum. Cf. *Bochart.* — *Hastile*: *heri* כִּיָּדָן praefereendum esse pro *kehib* כִּיָּדָן, ostendunt loci paralleli 2 Reg. 21, 19; 1 Par. 20, 5. — *Armiger* seu sentiger: צַוָּה sentium, a radice צָנַן *protegere*, quae etiam in lingua arab. et assyr. recurrit.

v. 8 « Stansque clamabat adversum phalngas Israel, et dicebat eis: Quare venistis parati ad praelium? » Quid opus est, omnes vos stare in acie, cum res singulari certamine componi queat? Ita fere *Ios.* « Numquid ego non sum Philisthaeus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen ». *Philisthaeus* articulum habet: ergo vel « notus ille Philisthaeus », quo sensu *Chald.* inserit h. l. narrationem sat longam praeclare gestorum huius Philisthaei; vel « Philisthaeus numeris omnibus absolutus ». v. 9 « Si quiverit pugnare mecum », i. e. mecum impetum sustinere, « et percusserit me, erimtis vobis servi; si autem ego praevalero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis ». v. 10 « Et aiebat Philisthaeus: Ego exprobravi agminibus Israel hodie », non mera appellatione « servi Saul » (*Keil*), quae nihil probri continebat, sed toto tenore verborum ante dictorum, quae erant provocatio plena contemptus. Vester honor exigit, ut satisfactionem a me requiratis; ergo « date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen ». v. 11 « Audiens autem Saul et omnes Israelitae sermones Philisthaei huiusmodi, stupebant et metuebant nimis ».

In editione LXX recepta deest 17, 12-31 et 17, 33-18, 5; eadem in aliis sui temporis libris hebr. deesse, notant *Masor.* Ergo divergentia in ipsos codices hebr. refunditur, quorum una pars tempore, quo conficiebatur LXX, illas pericopas habebat, pars iisdem carebat. *Alex.* quidem eas etiam habet, sed evidenter suppletas a traductore aliquo, diverso ab auctore LXX, quique ea immediate ex *Hebr.* supplevit. *Ios.* in suo LXX exemplari legebat 17, 12-31, non vero 17,

33-18, 5 : ergo iam tunc exstabant codices graeci, et fortasse etiam hebraei, qui unam alteramve pericopen ex Hebr. supplerant. Dicimus autem, ita Ios. in suo LXX exemplari legisse, non ad Hebr. recurrisse : in tota quippe regum historia solos LXX sequitur; quodsi Hebr. consulisset, etiam 17, 33-18, 5 transumpisset; neque cum difficultatibus huius loci terrisset, difficultates quippe Ios. non declinare solet, sed pro ingenii subtilitate explanare conatur. — Utramque pericopen legebat *Aq.*, priorem tantum *Symm.* et *Theodotion.*

Quaestionem igitur ad antiquos codices hebr. revocamus. Ubi illud ante omnia advertendum est, longiores esse pericopas illas et accuratius contextui aptari, quam ut *inadvertenter* aut textui inseri, aut ex illo excidere poterint. Sunt ergo *deliberate* aut textui insertae, aut textu expunctae. Sed iam seorsim nobis de singulis pericopis agendum, non enim necessario par utriusque ratio est supponenda.

Prior pericope 17, 12-31 repetit fere, quae cap. 16 dicebantur de familia David, dein exponit, quid negotii acturus David in castra venerit, et quibus sermonibus animo adoriendi Philisthaeum prodiderit. Nulla in his omnibus cernitur ratio, quae potuerit quenquam allicere, ut eam narrationem *deliberate* expungeret. Plura afferuntur nova, quaeque a contextu narrationis minime sunt aliena. Quinimo, haec ipsa potuit esse ratio eius pericopae *deliberate* inserendae. Neque ideo necessario asserendum, insertam esse a posterioribus Iudaeis : nimis illi textum sacrum reverebantur, quam ut tanta illi additamenta *deliberate* adnecterent. Rem ita explicamus. Ea pericope pars non erat Historiae Davidis a Gad conscriptae. Quando hanc historiam suo operi adiunxit Nathan propheta, hanc pericopen sive ex eorum, quae ipse testis expertus erat, memoria, sive ex aliquo documento fide digno inseruit. Insertionis vestigium habes v. 12 in illa voce *illius* seu, uti *Vulg.* vertit, *de quo supra dictum est.*

Alter pericope 17, 33-18, 5 narrat Saulis quaestionem : « De qua stirpe descendit hic adolescens ? » quae nonnihil difficultatis habet, ubi cap. 16 narratum est, Saulem Davidem dilexisse et secum retinuisse; dein narrat « in die illa », quae quidem expressio omnino vaga est, tulisse Saulem Davidem neque concessisse, ut domum reverteretur. Haec omnia prorsus vera sunt, uti suo loco ostendimus; tamen post cap. 16 posita difficultatem pariunt prima fronte non exigam. Ergo nulla ratio erat, illa *deliberate* inserendi, erat e contra ratio illa *deliberate* expungendi. Rem ita concipimus. Exstabat haec pericope in Historia Davidis, quam conscripsit Gad separatam ab Historia Saulis, ibique nullam pariebat difficultatem. Quando Nathan Historiam David cum Historia Saul suo operi inseruit, nata est difficultas; eam oportebat explicari, aut locum difficilem expungi : alterum placuit Nathano.

Hinc liber Gad priori pericope carebat, liber Nathan altera. Uterque describebatur non infrequenter, saepe etiam minus sapienter. Qui librum Nathan describebant modo putabant alteram pericopen, quod in libro Gad legeretur, in suo libro excidisse ideoque esse suppiendam; modo priorem pericopen, quod in libro Gad desideraretur, putabant esse expungendam. Hinc duae ortae textus hebr. recensiones, quarum alteram secuti sunt *Masor. Vulg. Chald. Syr. Aq.*,

alteram LXX in editione recepta. Textum genuinum libri Nathan praec oculis habuere *Ios., Symm., Theodotion.* Librarios ea, quam descripsimus ratione, revera quandoque egisse, omnino probat exemplum codicis *Alex.*, cuius auctor utramque pericopen sibi putavit ex Hebr. esse suppiendam.

v. 12-15 revocat lectorem ad personam David, et intime cum praecedentibus connectitur : Reliqui metuebant nimis; David autem etc. Iam auctor, de Davide dicturus, bis v. 12 et 14 eius nomine sententiam ordiunt, sed bis rursus ad alia parenthetice referenda dilabuntur, primum v. 12 sq. patris fratrumque conditionem exponens, inde v. 14 Davidis aetatem definiens, tandem v. 15. in inchoata sententia et narratione pergit. Missa ergo v. 12 voce *erat*, ita fere veritas : David autem, filius viri Ephrathaei, de quosupra dictum est, etc; David autem — ipse minimus, tres autem maiores secuti erant Saul; — David igitur abiit etc. Cf. *Keil.* v. 12 « David autem erat filius viri Ephrathaei, de quo supra dictum est, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandaeus inter viros ».

Pro de quo supra dictum est, *Hebr.* illius, quae vox non obscure prodit, hanc pericopen narrationi iam prius extanti esse insertam. Aetas Isai indicatur, inquit *Then.*, tanquam causa, cur non ipse Isai arma sumpserit : verum, si haec sit ratio, cur non misit Isai quatuor illos filios, quorum nomina h. l. desiderantur ex octo? Sensus planior hic est : tres filios miserat, quod pro uno eive abunde sufficit, etiamsi habeat octo; quartus David modo fratribus commeatum ministrabat, modo domi gregem pascebat, quae ei cura tanquam nata minime obtegerat; alii quatuor fratres fortasse patrem in re domestica administranda iuvabant. — *Hebr.* אֲנִיכִים בֵּן, quod LXX (*Alex.*) vertit verbotenus *profectus inter viros*, et in eundem textum recidit *Vulg. grandaeus inter viros, Chald. adnumeratus inter electos*, i. e. senes. Tamen expressio in s. scriptura nusquam secus occurrit. Cum in *Hebr. Chald.* copula desideretur, potest בֵּן ortum esse ex repetitione priorum literarum sequentis vocis : « erat vir senex inter viros ». Pro אֲנִיכִים legebant *Syr.* et *Arabs* אֲנִיכִים, unde *Syr.* vertit *profectus annis*, expressio, uti notarunt *Lud. Capellus* et *Houb.*, omnino aequalens nativo *profectus diebus* Gen. 18, 11; 24, 1; Ios. 13, 1. *Arabs*, punctuationem nativi idiomati accommodans, vertit *profectus dentibus*, dentes enim pro aetate apud *Arabs* scribi docemur.

v. 13 « Abierunt autem tres filii eius maiores post Saul in praelium; et nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertiusque Samma ». Cf. 16, 6 sqq. v. 14 « David autem erat minimus. Tribus ergo maioribus secutis Saulem », v. 15 « abiit David et reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem ». Versio recepta utique suggerit nexum cum 16, 21, ubi Saul dicitur Davidem secum retinuisse. Sed is nexus textui hebr. necessario non inest. Iam *Masor.* vertit : « Ibat et redibat a comitatu Saul, h. e., saepe a patre ad fratres, qui in isto bello Saulem comitabantur, mittebatur ». Et *Cler.* : « David a Saule ultro ci-

troque commeabat ». Et *Keil* : « accedebat et recedebat ». Ergo David *ibat* : quo non enuntiatur, quia illud ex immediate praecedentibus facile suppletur, ubi eadem voce dicebantur fratres David *ivisse post Saul*; neque dicitur ad quid, quia id v. 17 sq. effertur, sc. ad comitatum fratrum ministrandum; et *redibat*, hieque additur terminus a quo, a *Saul*, et ratio propter quam, *ut pasceret gregem*. Ergo ex hoc versu non potest sumi argumentum, cap. 17 narrata obtigisse post narrata cap. 16. — v. 16 « *Procedebat vero Philisthaeus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus* ». v. 17 « *Dixit autem Isai ad David, filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentae* », frumenti tosti cf. Lev. 2, 14, « *et decem panes istos, et curte in castra ad fratres tuos* ». Recte hinc infert *Sancl.*, Israelitas tum non regio sumptu, sed propriis stipendiis militasse; unde porro inferas, raro admodum remotioris regionis incolae in castris adfuisse. v. 18 « *Et decem formellas casei has deferes ad tribunalum, et fratres tuos visitabis, si recte agant; et cum quibus ordinati sunt, disce* ».

*Formellas casei*, a *הרץ* *secare*, ergo sectiones casei, *gallice* « une tranche ». Sed obest in *Hebr.* dici formellas, non casei, sed lactis: et voci *הלב* significatio casei iudicari nequit, quin potius significat lac recens: quid autem sibi volunt sectiones lactis? In textu graeco legebat *Breithinger* *שכר* *שכר*, quod utique est *formellae*; sed *Tischendorf* praefert lectionem *στυγερὰ*, quae aliquid contractum seu acrefactum significat, ergo, ubi de re ex lacte nata sermo est, caseum, *caseum lactis recentis*. Ita vertunt *Chald. Syr.* Ad eandem sensum trahi posse videtur radix *hebr.*, nam *הרץ* significat *uvae acres*, et in *arab.* radice etiam sensus competit *lac omne emulsit*. — *Visitabis*; *Hebr.* addit *pacifice*, nam verbum *בקר* etiam de visitatione hostium usurpatur. — *Cum quibus ordinati sunt, disce*. Lectio *התקר* *disces*, pro *Hebr.* *התק* *sumes*, auctoritate *Vulg. LXX Theodoton.* sufficienter stabilitur. *עירבתם* *LXX* derivant ab *עירב* *dulce, gratum esse*, ergo *placitum eorum disce*. *Chald. Syr.* nuntium. *Ps. lllor.* derivat ab *עירב* *pignus dedit*, sed quorsum pignore opus est inter fratres? *Vulg.* legebat *עירבתם*, ab *עירב* *ordinare*.

v. 19 « *Saul autem, et illi* », i. e. tres filii Isai natu maximi, « *et omnes filii Israel in Valle Terebinthi pugnabant adversum Philisthim* ». Cum *Hebr.* participio utatur, potes etiam cum *Then.* vertere « pugnante », totumque interpretari ut partem sermonis Isai: at, quomodocunque interpreteris v. 13, prorsus superflue Isai filium edocet, ubi sit Saul. v. 20 « *Surrexit itaque David mane, et commendavit gregem custodi, et onustus abiit, sicut praeceperat ei Isai* ». Alicui custodi, *Hebr.* articulum non adhibet, videtur David solus gregem pascere consuevisse. « *Et venit ad locum Magala* », — melius ad castra — « *et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine* ». Nervosius *Hebr.*; et *exercitus*, qui egrediebatur in aciem, extollebat clamorem bellicum.

*Ad castra* vertunt omnes versiones; locus pugnae sufficienter v. 1 descriptus est. *במגלה* fortasse derivandum ab *מגל* *rotandum esse* (*Vatabl. Malo.*), ergo vallum vel castra; eandem vocem 26, 5. 7 *Vulg.* vertit *tentorium*, ab eadem radice. Non putaverim derivari ab *מגלה* *plastrum*, ut sit plastrorum arx (*Duguet, Ges.*), nam eiusmodi in bello non videtur usi esse Hebraei.

v. 21 « *Dixerat enim aciem Israel, sed et Philisthim ex adverso fuerant praeparati* ». *Hebr.*: *Dirigebantque Israel et Philisthim aciem contra aciem*. Descriptio est appropinquantis castris, prius res in confuso videntis sonumque audientis, dein distinctus res contentis. v. 22 « *Dereelinquens ergo David vasa, quae attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, et interrogabat, si omnia recte agerentur erga fratres suos* ». *Hebr. LXX Chald.*: *cucurrit ad aciem et, cum prope hanc pervenisset, moderato gressu, processit et salutavit fratres suos*. v. 23 « *Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurcius* », mediator cf. v. 4, « *Goliath nomine, Philisthaeus de Geth, de castris Philisthinorum, et loquente eo haec eadem verba* », cf. v. 8 sqq., « *audivit David* ». Reliqui textus habent *Goliath Philisthaeus nomine*: videntur iam tum voces *Goliath Philisthaeus* in unicum viri appellationem coaluisse (*Wellh.*). v. 24 « *Omnes autem Israelitae, cum vidissent virum, fugerunt a facie eius, timentes eum valde* ». v. 25 « *Et dixit unus quispiam de Israel* », fortasse regis nomine: « *Num vidistis virum hunc, qui ascendit? ad exprobrandum enim Israeli ascendit* ». *Opido* nostis, exprobrandi causa eum ascendere. « *Virum ergo, qui percusserit eum, dilabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei, et domum patris eius faciet absque tributo in Israel* ». *Hebr. faciet liberam*, sed a qua re? A tributo, inquit *Vulg.* Sed num tempore Saulis iam adstricti erant singuli Israelitae certo tributo solvendo? *Chald. Syr. faciet nobilem*; porro ea nobilitas non in alio consistebat, quam in datis divitiis et concessis nuptiis regis. v. 26 « *Et ait David ad viros, qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthaeum hunc, et tulerit opprobrium de Israel?* » Ex interrogatione videtur effici, Davidem generalem sensum proclamationis v. 25 intellexisse, non tamen particulares conditiones; vel hae conditiones visae ipsi sunt tam praeclearae (*Malo.*), comparatione victoriae indubie, quod fide docebatur, obtinendae, ut suis auribus non credens earum ex alius confirmationem quaesierit. Simul quaestionis ardor predebat, Davidem, desiderio promissi praemii obtinendi et opprobrii populo electo illati ulciscendi, ad pugnam ipsum subeundum sollicitari. « *Quis enim est hic Philisthaeus incircumcisis, qui exprobravit acies Dei viventis?* » Verba expriment certissimam fiduciam, Goliath percussum iri; enuntiant, eum esse adversarium merito despiciendum, primum iam ideo, quod sit impugna-

tor incircumciscis populi Dei, dein multo etiam magis, quod eidem exprobrare ausus sit. Id enim agendo, certissimam iram incurrit Dei viventis, propria tandem nece placandam. — Potest sententia etiam sic construi: Quis enim est hic Philisthaeus, ut exprobrat etc.? Nefas est, talem virum in populum impune effutire probra.

v. 27 « *Referebat autem ei populus eundem sermonem* » (v. 25), « *dicens: Haec dabuntur viro, qui percusserit eum* ». v. 28 « *Quod cum audisset Eliab, frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, et ait: Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? Ego novi superbiam tuam et nequitiam cordis tui, quia, ut videres proclium, descendisti* ». Ira incendebatur Eliab, quod natu minimus se offerret ad singulare certamen, quod ipse natu maximus refugisset (v. 24). Vividius *Hebr.* cui reliquisti? Neglecto grege nec ulli pastori commendato, descendisti. Is est David, cui vix pauculae oves tuto committi possint. Fratres salutare (v. 22) praetextus fuit: petulantia et nequitia illum adduxerunt. Nequitiae est, fucato praetextu uti; petulantiae, rerum proprium statum longe excedentium aspectum ambire. Longius petitur, quod dicit *Clair*, cum Davidi fratrem obicisse nequitiam, ut cuperet sanguinem videre effusum.

v. 29 « *Et dixit David: Quid feci? nunquid non verbum est?* » Textus sua brevitate obscurus. *Arabs* supplet tantum. *Iline Chrys.* (34. 425): Nondum arma arripui, nondum in aciem progressus sum, tantum interrogabam. Nonnihil acerbius *Menoeh.*: « Non si puo dir una parola? » vel *Carrière*: « N'est-il pas permis de parler? » Duas alias explicationes commemorat *Malv.*: « Nonne est hac de re publicus sermo? quid mirum, si ego loquar de re, de qua omnes loquantur? » vel: « Nonne fuit verbum i. e. mandatum patris, ut huc descenderem? » v. 30 « *Et declinavit paululum ab eo ad alium, dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum, sicut prius* ». v. 31 « *Audita sunt autem verba, quae locutus est David, et annuntiata in conspectu Saul* ». Hic terminatur lacuna LXX.

v. 32 « *Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo* », i. e. propter illum; « *ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philisthaeum* ». v. 33 « *Et ait Saul ad David: Non vales resistere Philisthaeo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua* ». Haec vix possunt locum habuisse post 46, 48, ubi David praedicatur « fortissimus robore et vir bellicosus ». v. 34 « *Dixitque David ad Saul: Pascibat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel* » — adde imo cum *Chald.*, qui pro *למ* legebat *למ* — « *ursus, et tollebat arietem de medio gregis* », v. 35 « *et persequeretur eos, et percutebam, eruebamque de ore eorum;*

*et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos* ». Describitur proxime pugna cum urso inita. Is contra persequentem se erigebat, David prehendebat mentum barbatum, qualis representatio (cum leone) frequens est in monumentis Assyriorum; ita eius amplexum cohibebat et, ut certius et violentius caedere posset, efficiebat. Pro *הכתי* et *suffocabam eum*: non agitur de bestia suffocanda, sed baculo conficienda; ita hodieum aliquando Arabes leonem conficiunt. Recte *barbam* (*Hebr.*) reddit *Vulg. mentum*, non *guttur* (LXX). *fos.*, qui non erat ipse robustus venator coram Domino, tutius Davidi putavit, feram « cauda » sublatam terrae allidere! v. 36 « *Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur et Philisthaeus hic incircumciscis quasi unus ex eis. (Nunc vadam, et auferam opprobrium populi; quoniam quis est iste Philisthaeus incircumciscis, qui ausus est maledicere caecitui Dei viventis?)* » Ultima sententia ex LXX in *Vulg.* penetravit. v. 37 « *Et ait David: Dominus, qui eripuit me de manu leonis et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthaei huius. Dixit autem Saul ad David: Vade, et Dominus tecum sit* ». Ipse Saul haec ultima verba primus Davidi apprecatur, sibi postmodum constanti tormento futura, cf. 18, 12. 28; 24, 21. Dum Saul pusillanimitate peccaverat, David, ubi primum se nobis sistit, insignem prodit in Deum *fiduciam*. Eadem sane fiducia agebatur in adoriendis belluis, quae omnem eius vitam pervadebat. Utrum congressus, tam cum leone quam cum urso, semel tantum acciderit an saepius (*Vulg.*), ex textu non clare perspicitur.

v. 38 « *Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam aeream super caput eius, et vestivit eum lorica* ». Induit vestimentis ita comparatis, ut arma illis desuper adaptarentur, secus commodius David propriam vestem retinisset (*Then.*); cf. dicenda ad 18, 4. Recte advertunt *Abul.*, *Sanct.* alique, Davidem tunc non ita tenerae aetatis puerum fuisse, quod Sauli, qui altior esset universo populo ab humeris et sursum, in mentem venerit, suis illum vestibus induere, quodque David non vestium amplitudinem, sed solam consuetudinem excusaverit. Idem David postea gladio Goliath expedite usus est. v. 39 « *Accinctus ergo David gladio eius super vestem suam, coepit tentare, si armatus posset incedere; non enim habebat consuetudinem* ». *Vestem suam*: suffixum etiam potest verti *eius*: erat vestis Saul, quam induerat David. Ceterum hinc non sequitur (*Wellh.*), mentionem loricae v. 38 cum LXX esse supprimendam. Potuit se accingere gladio super vestem et super loricaem, vel super vestem et non super loricaem: necimus eius loricae formam et amplitudinem. « *Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere, quia non usum habeo. Et deposuit ea* ».

v. 40 « *Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, et fundam manu tulit, et processit adversum Philisthaeum* ». Insignis Davidis fiducia inde elucet, quod nihil armorum insolitum quaerit, sed ea tantum, quae semper habebat. Elucet ex quiete, qua quinque tantum lapides colligit, ratus plures se iacere non posse, quoad cominus et baculo sibi dimicandum foret. *Chrys.* (54. 426) : « *Accepta pera pastorali et silicibus, contra carnem illam turrin egressus est* ».

*Hebr.* misit eos in vas pastorum, quod ipsi, et in peram, ילקו. Hinc variae explicationes. Hebraeo adhaeret *Chald.*; sed improbabile est, Davidem duobus usum esse saccis ad quinque lapides reponendis. Verius igitur copulam omittunt *LXX* : in peram pastoralem, quae erat ei ad colligendum (לקט) ; et *Arabs* : in peram, (i. e.) uti consueverat in pascentis colligendis ovibus ; et *Syr.* : in vas pastorale, (i. e.) in peram, cui consentiunt *Vatabl., Sanct.* Veritatem tetigit *Fulg.*, unico vocabulo vertens in peram pastoralem. Videtur se. perantiquo tempore in margine ms. adiecta esse inusitatae voci ילקו explicatio בכלל הרעים, quae inde in textum irrepsit (*Wellh.*).

v. 44 « *Ibat autem Philisthaeus incedens, et appropinquans adversum David, et armiger eius ante eum* ». Deest in editione *LXX* recepta, non tamen in *Alex.* Perperam verum condemnat *Wellh.*, quod nunc iam Goliath recta tendat ad David, et tamen nonnisi v. 42 illum primum conspiciat. Non affirmatur processisse cum intentione appropinquandi Davidi, sed, dum huc illic exprobrans Israeli incederet, inexpectatum offendit. v. 42 « *Cumque insperisset Philisthaeus, et vidisset David, despezit eum; erat enim adolescens, rufus et pulcher aspectu* ». Cf. 46, 42. — v. 43 « *Et dixit Philisthaeus ad David: Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo?* » *Hebr.* cum baculis, pluralis genus significat. « *Et maledixit Philisthaeus David in diis suis* », *Hebr. Ios.* in Deo suo, sc. Davidis. v. 44 « *Dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus caeli et bestiis terrae* ». v. 45 « *Dixit autem David ad Philisthaeum: Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie* ». In gladio etc., i. e. his rebus fisus. *Exprobrasti* recte versiones referunt ad agminum, cf. v. 10 : « *Ego exprobravi agminibus Israel* ». Utique pronuntiat David, probrum in Israel coniectum illico ipsum Dominum exercituum afficere. v. 46 « *Et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te, et dabo cadavera castrorum Philisthaeum hodie volatilibus caeli et bestiis terrae: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel* » ; — Contra *Vulg. LXX* iungunt reliqui et *Ios.* : *Hac ipsa die, hodie, dabit te*

*Dominus in manu mea*. Robustior evadit sermo, et correspondet alterum hodie. — v. 47 « *et noverit universa ecclesia haec* », tam amici quam inimici, « *quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum* ». *Hebr.* sed quia Domini est bellum. Dominus non tribuit victoriam iis solis, qui melioribus armis instructi sunt, quasi victoria tota ab armis, nullatenus ex numine penderet: ipse, belli dominus cum sit, victoriam etiam inermi largiri potest. « *Et tradet vos in manus nostras* ». Haec non videntur dependere a quia secus adderetur ipse, in hoc enim esset vis argumenti. Dein languida esset sententia: Dabit te Dominus in manu mea, ut noverit universa ecclesia, quia tradidit vos in manus nostras. Verba sunt repetitio assertionis v. 46, repetita expressio fiduciae obtinendae victoriae, nec iam a solo Davide, sed ab Israelitis universim.

v. 48 « *Cum ergo surrexisset Philisthaeus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et ecurrit ad pugnam ex adverso Philisthaei* ». Vivide *Hebr.* : *Et factum est, et insurrexit Philisthaeus, incensus verbis David, inter alloquium enim substitulerat, et procedebat, et appropinquabat*. « *Davidis animus festinatione manifestatur* » (*Clair*). Pro ad pugnam, *Hebr. Chald. Syr* in acie, i. e. secundum aciem, gallice « le long » ; intellige Hebraeorum aciem. v. 49 « *Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda iecit, et circumducens percussit Philisthaeum in fronte; et infixus est lapis in fronte eius, et cecidit in faciem suam super terram* ».

*Circumducens* praeter *Arab.* habet sola *Fulg.*, deest tamen in pluribus codicibus et editionibus (*Verc.*) : post funda iecit vox abundat. Solutionem discit ex *Arab.*, qui mittit funda iecit : ergo circumegit (sc. fundam) non est nisi altera versio expressionis funda iecit, quae in textum *Vulg.* irrepsit. — Incisum infixus est lapis in fronte eius minime est otiosum, etiamsi non addamus cum *LXX* et *Wellh.* per galcam : icus sc. fuit tam felix, ut non solum percussisset hostem in fronte, sed haec insuper penetraverit.

v. 50 « *Praecaluitque David adversum Philisthaeum in funda et lapide, percussumque Philisthaeum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David* », v. 51 « *ecurrit, et stetit super Philisthaeum, et tulit gladium eius, et eduxit eum de vagina sua, et interfecit eum, praeciditque caput eius* ».

v. 50 deest apud *LXX*. Ob quam rationem expungitur a *Wellh.*, et etiam, quia haec generalis de exitu pugnae animadversio nonnisi post v. 51 ponenda esset, et quia *interfecit* v. 50 abundet, cum nonnisi v. 51 Philisthaeus interfectus narretur. Tamen v. 50 defendi potest, ut sit triumphans quaedam exclamatio a s. narratore edita, ubi corruentem v. 49 Philisthaeum mente conspexit, eademque anticipans eventum, magis complete v. 51 narrandum — Verba *Cumque gladium non haberet in manu David*, apte cum *Fulg.* ad sequentia trahuntur, simul tamen ad praecedentia pertinent eaque

sequentibus inungunt : sc. quod gladio caruerit David, et explicat, cur solo lapide et funda ei vincendum fuerit, et cur ceciderit, ut gladio Goliath potiretur.— Gladium in vagina erat : ergo Goliath hasta vel telo dimicaturus fuerat.

« *Videntes autem Philistiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt* ». v. 52 « *Et consurgentes viri Israel et Iuda vociferati sunt, et persecuti sunt Philisthaeos, usquedum venirent in vallem et usque ad portas Accaron* ». Probabilius cum LXX *Ios.* pro *אֲרָגָה* lege *גָּרָה* : usquedum venirent ad Geth et usque ad portas Accaron. Etiam *Chald.* nomen proprium intellexit. Vox non habet articulum, ideoque non designat determinatam aliquam vallem. De viris Iuda et Israel cf. dicta ad 8, 4; 11, 8. « *Cecideruntque vulnerati de Philistiim in via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron* ». *Vulg. Chald.* intellexerunt Saraim *Ios.* 15, 36; sed eadem vox, quae modo in hoc ipso versu vertebatur porta, etiam hic eodem sensu cum LXX sumenda est, ergo : Cecideruntque vulnerati de Philistiim in (ipso) ingressu portarum tam Geth quam Accaron. Ita verba perspicue cum praecedentibus cohaerent. Ingressum portae intelligimus illud castellum munitum, per quod aditus urbis transibat et defendebatur : *germ.* « Thorweg ». Ergo occisi ceciderunt non solum prope illas urbes, sed intra ipsas urbes, ut parum abfuerit, quin ipsae urbes caperentur. Cf. *Wellh.* v. 53 « *Et revertentes filii Israel, postquam persecuti fuerunt Philisthaeos, invaserunt castra eorum* ». v. 54 « *Assumens autem David caput Philisthaei, attulit illud in Ierusalem, arma vero eius posuit in tabernaculo suo* ». Malim cum *Ios.* et *Ps. Hier.* suffixum omittere, quod facillime ex sequenti voce affingi potuit; ergo *posuit in tabernaculo*, sc. Dei, ubi postea 21, 9 ea recondita reperimus. Eodem recidit expositio *Iunii Pisc.* (apud *Malv.*) et *Calm.* : in tabernaculo suo, eo sc. quod ipse postea Hierosolymae Deo crexit; sed tum demum quando rex arce Sion potitus est. Quodsi ergo versus in ipsa prima libri scriptioe a Gad propheta narrationi est insertus, demonstratum habes, Gad nonnisi post captam arcem scripsisse. At potuit hic versus a Nathan propheta inseri.

Haec apud LXX desunt. v. 55 « *Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthaeam, ait ad Abner, principem militiae : De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner : Vivit anima tua, rex, si novi* ». v. 56 « *Et ait rex : Interroga tu, cuius filius sit iste puer* ». v. 57 « *Cumque regressus esset David percussio Philisthaeo, tulit eum Abner, et introduxit eum coram Saule, caput Philisthaei habentem in manu* ». v. 58 « *Et ait ad eum Saul : De qua progenie es, o adolescens? Dixitque David : Filius servi tui Isai Bethlehemitae ego sum* ». Iam describit s. auctor, quomodo post devictum Goliath

Saul in familiam Davidis, antea sibi penitus ignoti, inquisiverit eumque (aliquo interiecto tempore, cf. 16, 18 sqq.) sibi permanenter adiunxit.

Superest iam, quae multos vexavit, discutienda quaestio, quomodo hoc capite narrata cum ultimi capituli narratione componenda sint. Ibi refertur Saul v. 21 dilexisse Davidem nimis suumque fecisse armigerum, hic v. 53 sqq. de eo tamquam de homine prorsus ignoto inquit. Difficultatis solutiones omnes ad tres revocari possunt.—I. In cod. Vaticano et edit. graeca Sixtina desunt 17, 42-31 et 17, 53-18, 3, quibus demptis bonus adest contextus, omnisque difficultas tollitur. Nec est, cur illos tractus eliminare dubites. Nam, praeter *Vulg.*, etiam LXX est versio authentica, quam sequi liceat. Et dari locos in *Vulg.* interpolatos haberi. Neque dicas, eosdem inveniri in graeco Alex., cum ibi pateat, eorum locorum translationem ab alio esse auctore, quam eo, qui reliqua veterit (*Wellh.*). Neque tandem obiicias, eos locos in hebr. et in cunctis praeter LXX verss. haberi; hinc enim id solum efficitur, cum interpolationem post editam LXX, sed ante reliquas editas verss., locum obtinuisse. *Houb., Wellh.* — II. Altera solutio integritatem quidem textus defendit, sed ordinem narrationis inter 16, 15-23 et cap. 17 inversum esse, et caedem Goliath, ante Davidis in regium psaltem electionem, locum habuisse affirmat; quam electionem aliquamdiu post Philisthaei caedem et ante 18, 2 collocat. Igitur, post devictum Goliath, David in domum paternam modeste primum se recepit, inde non ita multo post accessit, psaltes et armigeri officium suscepit (cf. 16, 19. 21 et 18, 2). Inversa autem narrationis ratio ea potuit esse, ut, post relatum Spiritus Dei in Davidem descensum, eiusdem a Saule recessus describeretur (cf. 16, 13 sq.). Argumenta pro illa inversione ex textu afferuntur haec. 16, 18 dicitur David « vir bellicosus », sed non ante congressum cum Goliath habitum vulgo innotuit eius animus bellicosus. Dein ex 17, 53-58 patet, Davidem Sauli, ante eum congressum, penitus fuisse ignotum. Difficultatem parit 17, 43. « *Et David abiens reversus erat a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlhehem* »; unde efficitur, Davidem iam antea adhaesisse Sauli. Sed textus etiam sic reddi potest : « *Et David ibat et redibat a Saul* », modo in deserto gregem pascibat, modo patris monito obsequens in castra pergebat. *Sa, Malv.* — III. Tertia solutio ordinem narrationis inversum esse negat. Etenim scriptura nulla ratione directe significat, res diverso ab evento ordine narrari. De Davidis animo bellicoso 16, 18 ex aliquo facto, nobis ignoto, constare potuit. Sed quomodo tum Sauli suus ipse armiger ignotus esse potuit? Afferuntur explicationes bene multae. Lux quaedam coelestis nativam oris speciem immutavit (*Pseudo-Philo*, de bibl. antiquitatibus). Longum effluxit tempus a sus-

cepto psaltis officio: nunc iuvenis iterum coram rege comparet, pastoris habitu, genis laugine obsitis, procerior factus (*Lap., Calm., Sacy, Duquet, Menoch., Abul., Cai.*). Diabolica obsessio Saulis memoriam debilitaverat (*Theodoret., Procop., Dionys. Carthus., Lyr., Tirin.*). Sunt principes obliuosi, lamentantur *Malv., Mar., Gordon., Vatabl., Clar., Lap.; Hugo a S. Vict., Sanct.* affirmant, principes saepe suos famulos non novisse; *Vatabl.* causatur, non esse mirum, Saulem psalterium suum oblitum esse, cum is tam frequenter in domum paternam secederet. Iam, quod supra dicebatur, inter psaltis susceptum officium et adventum in castra longum effluxisse tempus, gratis assumitur, neque favet textus. Davidis species 16, 12 et 17, 42 identicis verbis describitur, ergo non videtur notabilis mutatio obtingisse. 17, 13 sqq., in hac sententia, eo videtur debere interpretari, ut David eo tempore a Saul discesserit, quando fratres bello se Philisthaico adiunxerint (cf. v. 16). Tandem ex 18, 40 effici videtur, Davidem fere quotidie apud regem psalterium egisse. — Ultima restat difficultatis compositio, Saulem 17, 33 non in personam David inquirere, sibi oppido notam, sed in eius originem, tum quod suam victori filiam nuptiis tradendam promississet, tum fortasse etiam, quod, invidia succensus, in Davide regni successorem suspicaretur (*Ephraem I. 370, Theodoret., Procop., Sanct., Est., Tirin., Mar., etc.*). Tamen haec quoque solutio aliqua violentia laborat, ab auctoribus nonnisi dubitanter, ut plurimum, affertur. Sensus obuius certe is est, tam personam quam originem fuisse ignotam. Apud Iudaeos tanti fiebat origo, ut vix nomen nisi una cum origine in medium produceretur. In aula Saulis, ubi potiores partes fere omnes Beniaminitis obtigissent, qui Beniaminitae non erant, magis erant conspicui eorumque imprimis origo in comperio erat. Adde Davidem, quando psaltis officio fungebatur, assidue circa regem esse versatum.

Nostra solutio, quam iam Intr. n. 6 enuntiavimus, ea momenta, quae secundam et tertiam solutionem commendant, retinet, aliis omittit. Contra primam solutionem integritatem textus Vulg. tuetur; contra secundam inversionem in ipsum textum sacrum mendose irrepisse negat. Admittit tamen cum eadem, ipsos eventus inverso, quo obtigerint, ordine narrari, inversive narrationis ordinis rationem reddit. Ex 4 Par. 29, 29 sc. cum universa libri Samuelis structura comparato officium, cum librum ex pluribus scriptis prophetis coaluisse. Eiusmodi scriptorum unum, historia Saulis, cap. 16 absolvitur; alterum, historia exilii David, cap. 17 incipit. Auctor prioris, praetermisso cum Goliath congressu, Davidis unctionem translantumque in ipsum a Saule spiritum divinum narravit, quod haec ad finem, quem ipse intendebat, abunde sufficerent, et narrationem reiecti a regno Saulis absolvent; ad quem finem non

fecisset narratio devicti Goliae. Auctori alterius scripti, Historiae David exulis, ostendendum erat, qua occasione primum Davidis fortitudo innoterit, ipsique regis favorem atque in aula locum procuraverit, quibus postmodum regis invidia excidit; non repetit narrationem uncti Davidis, quod eam scripto antiquiore traditam iam esse nosset. Nathan tandem diversa illa scripta in unum collegit, quem Samuelis librum appellamus, eorum tamen exordia et conclusiones intacta reliquit, quo factum est, ut obiter legentibus pauca quaedam non satis inter se cohaerere viderentur.

*Cap. XVIII. 1-3* cum 17, 33-38 intime cohaerent illudque ostendunt, ob quod vel maxime certamen cum Golia a s. auctore relatam fuerat, Davidem aulae accitum et favore regis, Ionathae et populi frutum esse. v. 1 « *Et factum est, cum complexet loqui ad Saul, anima Ionathae conglutinata est animae David, et dilexit eum Ionathas quasi animam suam* ». Colloquium non illis solis verbis constitit: Filius servi tui Isai Bethlechemitae ego sum. Interfuisse videtur Ionathas atque Davidem, cuius modo fortitudinem admiratus erat, nunc ob sapientiam quoque et morum comitatem dilexisse, Deo utique ita disponente. Expressio usurpatur tenerimi affectus, qualis fuerat Iacob erga Benjamin Gen. 44, 30, Sichem erga Dinam 34, 3. v. 2 « *Tulitque cum Saul in die illa, et non concessit ei, ut reverteretur in domum patris sui* ». Expressio in die illa est omnino vaga. Primum igitur reversus est David ad vitam pastorem, dein, rege a spiritu malo exagitato, accersitus est psalter (*« tulit eum etc. »*), atque inde constanter mansit apud Saul. Hinc intelligimus, Davidem, quando propositus est psalter, iam non fuisse regi penitus ignotum; item conicere possumus, quis praeceteris eius accersendi auctor fuerit, sc. Ionathas. Idem prior foedus suggestit, unde etiam primus nominatur v. 3 secundum omnes, excepta *Vulg. v. 3 « Inierunt autem David et Ionathas foedus; diligebat enim eum quasi animam suam »*. Foederis ritum describit v. 4 « *Nam exspoliavit se Ionathas tunica, qua erat indutus »* (cf. 2, 19), « *et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum* ».

Cum dedit opponatur verbo *exspoliavit* se seu *eruit*, poteris vertere et induit ea Davidem. — Pro ea reliqua vestimenta sua verte h. l. et vestem suam militare. כוּרָה vel כוּרָה significat Ps. 132 (133), 2 vestem Aaronis, ergo certe vestem talarem; Ps. 108 (109), 18 vestem totum corpus contegentem; 1 Reg. 4, 12 vestem militarem, quae scinditur (cf. 2 Reg. 10, 4) ergo non « arma », uti h. l. *Syr.* verit; 17, 38 sq. rursus vestem militarem, supra quam quis gladio accingebatur; etiam Iud. 3, 16 exceptione docemur, consuevisse gladium gestari super eam vestem. Ex his concludendum videtur, fuisse illam vestem aliquam tunicam longiorem, quae super hanc et infra arma gestabatur; eiusdem generis vestem longiorem videtur Goliath gestasse, cum eius lorica 17, 5 etiam videatur fuisse longior, quod ex pondere cum *Clair* conici-



mus; ejusmodi vestes et loricae longiores in monumentis Assyriorum depictas conspicis. — Vestimenta et arma eo ordine recensentur, non quo Ionathas ea exiit, sed quo David eadem induit. *Usque . . . usque* gradationem exprimit: imo et gladium suum, et arcum suum, et balleum suum. Licet arma non essent tum ita rara in Israel uti 13, 22, magno tamen pretio habebantur, unde specialis caritas ex eorum dono elucebat. Praeter signum amoris, videtur Ionathas id etiam intendisse, ut Davidi habitum regiae aulae convenientem provideret. Hinc etiam mox David bellatoribus, imo ducibus adnumeratus est.

v. 3 « *Egrediebatur quoque David ad omnia, quaecumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat* ». Syr. pro causa ponit effectum et vincebat. « *Posuitque cum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul* », qui, cum ex tribu imprimis essent Benjamin 22, 7, non ita fortasse primum faverant iuveni de tribu Iuda.

B. Latentes Saulis insidiae 1 Reg. 18, 6-29.

Brevis haec ceteroquin pericope revertitur ad illam, quam in Historia Samuelis observabamus, paragraphorum seu stropharum divisionem, eamque valde artificiose exarata. Describendum susceperat s. auctor inimicitiarum Saulis a levi displicentia usque ad consummatum odium progressum, ob intellectas cum Davidis eximias dotes, tum crescentem in dies populi favorem. Quae duo motiva auctor in clausulis paragraphorum continuo repetit. Et duae quidem sunt strophae, quarum prior 6-16 prima infensi animi tentamina describit, altera maturius consilium Davidis desiderio regiarum nuptiarum in perniciem agendi. Illa clauditur verbis v. 16 « *Omnis autem Israel et Iuda diligebat David etc.* », haec verbis v. 28 « *Michol autem, filia Saul, diligebat eum* », quibus hominum favorem expressum habes. Prior rursus stropha tribus conficitur membris. Primum recoli ortarum inimicitiarum occasionem: « *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David etc.* ». Secundum consilium refert effectum adhuc carens transfigendi Davidis: « *Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset* ». Tertium Davidem ostendit specioso praetextu ab aula semotum bellique periculis permissum: « *Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, et coepit cavere eum* ». Similia verba, post absolutam alteram stropham, totam pericopen concludunt: « *Et Saul magis coepit timere David, factusque est Saul inimicus David cunctis diebus* ». Qua artificiosa repetitione, Saulis odium eiusque motiva perquam vivide illustrantur.

4) Insidiarum initia 1 Reg. 18, 6-16.

a. Ortarum inimicitiarum occasio 1 Reg. 18, 6-9.

v. 6 « *Porro cum reverteretur percusso Philisthaeo David, egressae sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis laetitiae et in sistris* ».

Praeter Vulg. omnes ita: *Porro in adventu eorum*, se. Saulis et exercitus, cum reverteretur David etc. Aliqui (apud *Mal.*) genitivum *Philisthaei* intellexerunt genericè, i. e. *Philisthaeorum*: sed cur ita ille redditus praee ceteris Davidi tribuatur, cum etiam reliqui Philisthaeorum caede occupati fuerint? Ergo planius vox de Goliath intelligitur. Re utraque expositio coincidit, cum David non prius a caede Goliath se receperit domum, quam totum bellum esset absolutum, in quo multos etiam alios v. 7 ipse occidit. Hinc etiam patet longius hos omnes eventus occupasse tempus, cum prius David caeso Philisthaeo sit domum reversus, dein aliquanto post a rege psalles accessit, bellicis expeditionibus adhibitus et militari honore insignitus. Non absolum videtur, his omnibus aliquot assignare annos: secus, ne decenti quidem veri superlatio, potuisset David dici interemisisse decem millia. — *Sistrum* שִׁירֵיט videtur aut triangulum fuisse aut trichordium. *Hebr. in tympanis et laetitia et sistris*, ubi admirationem facit *laetitia* musicis instrumentis adnumerata. Quare *Then.* eam vocem cum *Syr.* et *Is.* ultimo loco collocat: *FIRST* putat nomen esse cuiusdam instrumenti, idemque videtur sensisse *Is.* vertens « et in omni genere laetitiae ». Apposite *Welh.* citat 1 Par. 13, 8: « cum omni virtute, et canticis, et citharis, et psalteriis etc. » Ergo stare licet textui.

v. 7 « *Et praecinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia* ». *Hebr.* Alternantesque canebant mulieres ludentes. Ex Ex. 13, 21 (cf. 13, 4) reapse probabilis fit coniectura *Clair*, versum hunc nostrum a mulieribus esse repetitum post singulas strophas epinicii eiusdem; vel, quod habet *Is.*, prius hemistichium a nuptis, alterum ab innuptis esse decantatum. Per *mille* significari *multos*, per *miriadas* (*Hebr.*) vero *multo plures*, iam perspexere *Vatabl.*, *Sa.*, *Menoch.*; aliasque eiusmodi cantinnuculas aliunde petitas comparationis gratia congescit *Mal.* *Mille* etiam alias indeterminate sumi pro magno numero, disce ex Iud. 13, 15: « Inventamque maxillam arripiens, interfecit in ea mille viros ». רבבה primitus multitudinem, numerum valde magnum significat: Gen. 24, 60; Ps. 90 (91), 7; Lev. 26, 8; significatio *decem millia* (cf. Iud. 20, 40) non est nisi derivata. Mulieres certe hunc sensum intendebant: Percussit Saul plurimos, sed David longe plures. Cur tantum numerum Davidi tribuebant? quod videtur. Saul pugnaverit, quod rege violento ac suspicioso esset acceptior. v. 8 « *Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis eius ser-*